TRINITY SUNDAY

Errors? help@extraordinaryform.org

INTROIT Tobias 12: 6
Benedícta sit sancta Trínitas, atque indivísa únitas: confitébimur ei, quia fecit nobíscum misericórdiam suam. (Ps. 8: 2) Dómine Dóminus noster, quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra! Glória Patri et Fílio et Spirítui Sancto, sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculórum. Amen. Benedícta sit sancta Trínitas, atque indivísa únitas: confitébimur ei, quia fecit nobíscum misericórdiam suam.

Blessed be the Holy Trinity and undivided Unity: we will give glory to Him, because He hath shown His mercy to us. (Ps. 8: 2) O Lord, our Lord, how wonderful is Thy Name in all the earth! Glory be to the Father and to the Son and to the Holy Spirit, as it was in the beginning, is now and ever shall be, world without end. Amen. Blessed be the Holy Trinity and undivided Unity: we will give glory to Him, because He hath shown His mercy to us.

COLLECT
Ómnipotens sempitérne Deus, qui dedísti fámulis tuis in confessióne veræ fídei, aetérnæ Trinitátis glóriam agnóscere, et in poténtia majestátis adoráre unitátem: quæsumus, ut ejúsdem fidei firmitáte, ab ómnibus semper muniámur adversis. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

O almighty and everlasting God, who hast granted to Thy servants, in confessing the true Faith, to acknowledge the glory of the eternal Trinity, and in the power of Majesty to adore the Unity: we beseech Thee, that by steadfastness in the same Faith, we may ever be defended against all adversity. Through our Lord Jesus Christ, Thy Son, Who lives and reigns with Thee in the unity of the Holy Spirit, God, forever and ever.

EPISTLE Romans 11: 33-36
O altitúdo divitiárum sapiéntiæ et sciéntiæ Dei: quam incomprehensíbilia sunt judícia ejus, et investigábiles viæ ejus! Quis enim cognóvit sensum Dómini? Aut quis consiliárius ejus fuit? Aut quis prior dedit illi, et retribuétur ei? Quóniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt ómnia: ipsi glória in sæcula. Amen.

O the depths of the riches of the wisdom and of the knowledge of God! How incomprehensible are His judgments, and how unsearchable His ways! For who hath known the mind of the Lord? Or who hath been His counselor? Or who hath first given to Him, and recompense shall be made him? For of Him, and by Him, and in Him, are all things: to Him be glory for ever. Amen.

GRADUAL Daniel 3: 55-56
Benedíctus es, Dómine, qui intuéris abyssos, et sedes super Chérubim Benédictus es, Dómine, in firmaménto cæli, et laudábilis in sæcula. Allelúja, allelúja. (Dan. 3: 52) Benedíctus es, Dómine, Deus patrum nostrórum, et laudábilis in sæcula. Allelúja.

Blessed art Thou, O Lord, that beholdest the depths and sittest above the Cherubim. Blessed art Thou, O Lord, in the firmament of heaven, and worthy of praise for ever. Alleluia, alleluia. (Dan. 3: 52) Blessed art Thou, O Lord, the God of our fathers, and worthy to be praised forever. Alleluia.

GOSPEL Matthew 28: 18-20
In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Data est mihi omnis potéstas in cælo et in terra. Euntes ergo docéte omnes gentes, baptizántes eos in nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti: docéntes eos serváre ómnia quæcúmque mandávi vobis. Et ecce ego vobíscum sum ómnibus diébus, usque ad consummationem sæculi.

At that time Jesus said to His disciples, All power is given to Me in heaven and on earth. Go therefore , teach ye all nations, baptizing them in the name of the Father and of the Son and of the Holy Spirit, teaching them to observe all things whatsoever I have commanded you. And behold I am with you all days, even to the consummation of the world.

OFFERTORY Tobias 12: 6
Benedíctus sit Deus Pater, unigenitúsque Dei Fílius, Sanctus quoque Spíritus: quia fecit nobíscum misericórdiam suam.

Blessed be God the Father, and the only-begotten Son of God, and also the Holy Spirit; because He hath shown His mercy to us.

SECRET
Sanctífica, quæsumus, Dómine Deus noster, per tui sancti nóminis invocationem, hujus oblationis hóstiam: et per eam nosmetípsos tibi pérfice munus aetérnum. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

Sanctify, we beseech Thee, O Lord, our God, by the invocation of Thy holy Name, the Sacrifice we offer, and by it make of us an everlasting offering unto Thee. Through our Lord Jesus Christ, Thy Son, Who lives and reigns with Thee in the unity of the Holy Spirit, God, forever and ever.

COMMUNION Tobias 12: 6
Benedícimus Deum cæli, et coram ómnibus vivéntibus confitébimur ei: quia fecit nobíscum misericórdiam suam.

We bless the God of heaven, and before all the living we will praise Him; because He has shown His mercy to us.

POSTCOMMUNION
Proficiat nobis ad salútem corpóris et ánimæ, Dómine Deus noster, hujus sacraménti susceptio: et sempitérnæ sanctæ Trinitátis, ejusdémque indivíduæ unitátis confessio. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

O Lord, our God, may the receiving of this Sacrament and the acknowledging of the holy and eternal Trinity and its undivided Unity profit us unto health of mind and body. Through our Lord Jesus Christ, Thy Son, Who lives and reigns with Thee in the unity of the Holy Spirit, God forever and ever.